

XIV.

QUÆ EXSEQUI DEBEAT EPISCOPUS, ET QUA CURA TUERI RES ET FACULTATES ECCLESIASTICAS.

(Apud Sirmond., ex codice Viridunensi.)

Hæc specialiter exsequi debet episcopus juxta A sacras regulas. Missas publicas celebrare, sacrum chrisma regulariter consecrare, sanctum baptisma juxta traditionem ecclesiasticam agere, et ut a presbyteris agatur providere. Presbyteros et diaconos, et reliquos ecclesiasticos ministros, statutis temporibus, quales præcipiunt regulæ, sine ullius muneris acceptione ordinare. Synodos presbyterorum secundum sacros canones sine venalitate habere. Ad provincialem episcoporum synodum, et ad ordinationem episcopi, vocatus convenire, vel pro se presbyterum aut diaconem, cum tractoria causas suæ impossibilitatis exponente, vel cum regulari suo consensu dirigere. Clerum regulariter gubernare, et sicut sanctus Gregorius in pastoralis Regula dicit, eidem clero, tam in interioribus, quam et in corporalibus rebus, necessaria providere. Ecclesiæ, tam in luminaribus et ornamentis, quam et in ædificiis, et in sartatectis, curam habere. Hospites et pauperes in constitutis singillatim hospitalibus recipere, et dicente Apostolo: *Qui suorum, et maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior* (I Tim. v, 8), suorum domesticorum in ministrando necessaria curam habere. Monasteriorum in sua parochia, et ecclesiarum rusticanarum parochiarum, atque matriculariorum, secundum sacras regulas sollicitudinem gerere. Populo suæ parochiæ verbum Domini nuntiari, et verbo atque exemplo subjectos sibi docere, et oratione consulere. In consignatione eorum, qui necdum in frontibus ministerio episcopali sunt consignati, regulariter satagere, et in hujus negotii circuitione, parochiæ, ultra debitum et necessarium modum, sicut sanctus decrevit Gregorius, presbyteros non gravare. Bonum testimonium etiam ab his qui foris sunt habere. Peccantibus et pœnitentibus secundum modum culparum regulariter pœnitentiam indicere, et post satisfactionem regulariter eos reconciliare. Omnis possessionis, quæ sub ejus est potestate, providentiam gerere. Militiam ad defensionem sanctæ Ecclesiæ, secundum possibilitatis quantitatem, juxta antiquam consuetudinem regiæ dispositioni exhibere, et secundum Domini jussionem, quæ Cæsaris sunt Cæsari, et Deo quæ Dei sunt reddere (Matth. xxii, 21). Quia sicut sanctus Gelasius facundissimus papa in decretis suis scribens ad Anastasium imperatorem dicit (epist. 10): « Duo D sunt quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra pontificum, et regalis potestas. Sed tanto gravius est pondus sacerdotum quam regum, quanto etiam pro ipsis regibus hominum in divino reddituri sunt examine rationem. » Et tanto in humanis rebus regum cura est propensior quam sacerdotum, quanto pro honore et defensione ac quiete sanctæ Ecclesiæ, et rectorum ac ministrorum ipsius, et leges promulgando, ac militando, a Rege regum est eis curæ onus impositum: sic actionibus propriis dignitatibusque distinctis, ut et Christiani reges pro æterna vita pontificibus indigerent, et pontifices pro temporalium rerum cursu regum dispositione uterentur; quatenus spiritalis actio carnalibus distaret incuris, et militans Deo minime negotiis sæcularibus se implicaret, ac vicissim non ille rebus divinis præsidere videretur, qui esset negotiis sæcularibus implicatus. Sanctus namque Spiritus per eos qui cum Christo in cælo regnant, et in terris miraculis coruscant, dixit, et usque ad nos scriptis pervenire fecit dicens (Urban. B epist. 1): « Res et facultates ecclesiasticæ oblationes appellantur, quia Domino offeruntur, et vota sunt fidelium, ac pretia peccatorum, atque patrimonia pauperum. Si quis illa rapuerit, reus est damnationis Ananiæ et Saphiræ, et oportet hujusmodi tradere Satanæ, ut spiritus salvus sit in die Domini. Quod nostri gloriosi imperatores Carolus et Ludovicus in primo libro Capitulorum suorum ita inseruerunt (cap. 83): Quia, inquiunt, juxta sanctorum Patrum traditionem novimus res Ecclesiæ vola esse fidelium, pretia peccatorum, et patrimonia pauperum, cuique non solum habita conservare, verum etiam multa, Deo opitulante, conferre optamus. Tamen ut ab ecclesiasticis de non dividendis rebus Ecclesiæ suspensionem dudum conceptam penitus amoveremus, statuimus ut neque nostris, neque filiorum et Deo dispensante successorum nostrorum temporibus, qui nostram vel progenitorum nostrorum voluntatem, vel exemplum imitari voluerint, ullam penitus divisionem aut jacturam patiantur. » Sanctus quoque Anacletus papa, ab ipso beato Petro apostolo presbyter ordinatus, postea in sede Romana successor illius factus episcopus, cum totius mundi sacerdotibus judicavit (epist. 1): Qui abstulerit, inquiens, aliquid patri vel matri, homicidæ particeps est. Pater noster sine dubio Deus est, qui nos creavit; mater vero nostra Ecclesia, quæ nos in baptismo spiritaliter regeneravit. Ergo qui Christi pecunias et Ecclesiæ rapit, aufert vel prædatur, homicida est, atque homicida ante conspectum justis iudicis deputabitur. Qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem operatur: qui autem

pecuniam vel res Ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit, et ut sacrilegus judicandus est. » Item sanctus Urbanus papa et martyr (*epist.* 1) : « Res et facultates ecclesiasticæ oblationes appellantur, quia Domino offeruntur, et vota sunt fidelium, ac pretia peccatorum, atque patrimonia pauperum. Si quis illa rapuerit, reus est damnationis Ananiæ et Saphiræ, et oportet hujusmodi tradere Satanæ, ut spiritus salvus sit in die Domini. » Et sanctus Lucius papa (*epist.* 11) : « Rerum ecclesiasticarum et facultatum raptores a liminibus sanctæ Ecclesiæ anathematizatos apostolica auctoritate pellimus et damnamus, atque sacrilegos esse judicamus : et non solum eos, sed et omnes consentientes eis, quia non solum qui faciunt rei judicantur, sed etiam qui facientibus consentiunt. Par enim pœna et agentes et consentientes comprehendit. A qua pœna consensus liberi esse non possunt illi, quorum ministerium est, et qui talia possunt prohibere, comprimere et emendare, et ea non student corrigere. » Et sanctus Gregorius in epistola ad Sabinum subdiaconom (*lib.* viii, *epist.* 7) : « Sacrilegum, inquit, et contra leges est, si quis quod venerabilibus locis relinquitur, pravæ voluntatis studiis, suis tentaverit compendiis retinere. » Et S. Augustinus in sermone Evangelii sancti Joannis dicit : « Fur sacrilegus loculorum sacrorum et Dominicorum est Judas, et qui aliquid de Ecclesia furatur et rapit, Judæ perditio comparatur. » Et item in sacris canonibus, sancto Spiritu dictatis, et Christi sanguine confirmatis, scriptum est (*conc. Tol.* 1, can. 11) : « Si quis de potentibus clericum, aut quemlibet pauperiorem, aut religiosum exspoliaverit, et mandaverit ad ipsum episcopus ut eum audiat, si contempserit, invicem mox scripta percurrant per omnes provinciæ episcopos, et quoscunque adire potuerit, excommunicatus habeatur, donec audiat et reddat aliena. » Et item scriptum est (*conc. Agath.*, can. 4) : « Clerici etiam, vel sæculares, qui oblationes parentum, aut donatas, aut testamento relictas, retinere præsumpserint, aut id quod ipsi donaverunt ecclesiis vel monasteriis crediderint auferendum, sicut synodus sancta constituit, velut necatores pauperum, quousque reddant, ab ecclesiis excludantur. » Unde summopere caveant potentiores quique, unusquisque in ordine et dignitate sua, ne præsumant, in damnationem suam res sibi ecclesiasticas, neque fatigent vel affligant inconsuetis consuetudinibus Dei ecclesias et loca sanctorum, scientes quia ut præmisimus res ecclesiasticæ vota sunt fidelium, patrimonia pauperum, pretia peccatorum, et in tuitione atque defensione Christi consistunt, qui eas terræ principibus, atque primoribus ad defendendum et conservandum, non affligendum vel usurpandum sive præsumendum commisit. Nam quæcunque prætentatur a quocunque utilitatis sive necessitatis occasio, ille corda omnium conspicit, qui novit cogitationes hominum, et remunerat actiones, et etiam cogitationes irremuneratas nullatenus derelinquet. Quocirca omnis qui vult

salvus fieri, et ab æterna morte liberari, et ad æternam vitam pervenire, attentissime cordis aure exaudiat quid sanctus Spiritus per eos locutus est, quibus dixit Dominus : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* xxviii, 20) ; et : *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (*Matth.* x, 20) ; et : *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo, et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo* (*Matth.* xviii, 18) ; et : *Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt* (*Joan.* xx, 22) ; et : *Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit* (*Luc.* x, 16). Dicunt enim illi, qui in cælo regnant, et in terra miraculis coruscant, qui et usque hodie nobiscum vivunt, et cum successoribus nostris usque in perpetuum vivent, quoniam apud Deum est merces eorum : « Si quis oblationes Ecclesiæ extra Ecclesiam accipere vel dare voluerit, præter conscientiam episcopi, vel ejus cui hujusmodi officia commissa sunt, nec cum ejus voluerit agere consilio, anathema sit (*conc. Ancyr.* can. 7). » Anathema autem interpretatur in Romana lingua *alienatio*, quia omnis talia faciens, quandiu in illis peccatis manet, licet nos episcopi, qui in apostolis et cum apostolis non nostro merito sed gratia divina ligandi et solvendi potestatem accepimus, interdum tardi, interdum divini sensus ignari, interdum quæ committuntur nescientes, aliquando etiam commissa ut expedit corrigere non valentes, quæ statuta sunt exsequi dissimulemus, vel etiam negligamus, ut talem hominem ab Ecclesia et fidelium societate excommunicantes non segregemus, jam tamen a sacris canonibus excommunicatus et prædamnatus est, donec peccatum illud deserat, et per satisfactionem ecclesiasticam, et sacerdotalem reconciliationem, Domini gratiam et fidelium societatem recipiat. Et quicumque in peccatis suis et talibus sceleribus implicatus ante satisfactionem necessariam vitam istam finierit, communionem et societatem cum electis in regno Dei habere nullatenus poterit, nec de inferni pœnis et dæmonum societate unquam liberari valebit. Denique duo capitula quæ sequuntur, ex edicto assumpta sunt ab Ansegiso abbate, capitulorum imperialium ex diversis synodis et placitis collectore, causa brevitate in primo libro capitulorum, septuagesimo septimo et septuagesimo octavo, de non dividendis rebus ecclesiasticis, et episcoporum electione, ex superscriptis excerpta, in præfato libro inveniuntur. Quod edictum ex integro domnus Carolus Magnus imperator, cum interrogatione de chorepiscopis, per Arnonem archiepiscopum ad Leonem papam direxit, et ad ejus consultum aliud edictum de non dividendis rebus ecclesiasticis, et de episcoporum causis edidit, et apostolicæ sedis atque auctoritate sua confirmavit, et per omnes metropolitanas ecclesias imperii sui perpetuo servanda direxit. Memorata itaque capitula ita

se habent (*lib. 1, c. 83*): « Quia juxta sanctorum Patrum traditionem novimus res Ecclesiæ vota esse fidelium, pretia peccatorum, et patrimonia pauperum, cuique non solum habita conservare, verum etiam multa, Deo opitulante, conferre optamus. Tamen ut ab ecclesiasticis de non dividendis rebus illius suspicionem dudum conceptam penitus amoveremus, statuimus ut neque nostris, neque filiorum et Deo dispensante successorum nostrorum temporibus, qui nostram vel progenitorum nostrorum voluntatem, vel exemplum imitari voluerint, ullam penitus divisionem aut jacturam patiantur. (*cap. 84.*) Sacrorum quoque canonum non ignari, ut in Dei nomine sancta Ecclesia suo liberius potiatur honore, assensum ordini ecclesiastico præbeamus, ut scilicet episcopi per electionem cleri et populi secundum statuta canonum de propria diœcesi, remota personarum et munerum acceptione, ob vitæ meritum et sapientiæ donum eligantur, ut exemplo et verbo sibi subjectis usquequaque prodesse valeant. » Et in eodem edicto unde hæc fuerunt assumpta subsequitur: « Præcipimus etiam omnibus ditioni nostræ subjectis, ut nullus privilegia ecclesiarum, monasteriorum, aut ecclesias diripere pertentet, quia sicut a sanctis Patribus instructi sumus, gravissimum peccatum hoc esse dignoscitur, » et cætera quæ sequuntur. Et in privilegio Belvacensis Ecclesiæ, ab episcopis quatuor provinciarum consensu domni Caroli nuper defuncti confirmato, hæc continetur ad locum: « Potestas autem sæcularis, sive sit sublimitate donata aliqua, sive in humili constituta loco, nullam in eis, nec in præsentem nec in futuro, suscipiat contra sacras regulas dominationem, nec violenter invadens, nec oblata suscipiens. Si quis vero regum, sacerdotum, et judicum, atque sæcularium personarum, hanc constitutionis paginam cognoscens, contra eam venire tentaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat. Et nisi vel ea quæ ab illo sunt male ablata restituerit, vel digna pœnitentia illicita acta deflexerit, a sacratissimo corpore ac sanguine Dei Domini Redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in æterno examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus hic fructum bonæ actionis recipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. » Et in privilegio ejusdem Ecclesiæ a domno Nicolao papa confirmato hæc continentur ad locum (*Nicolaus Odon. episc.*): « Nullus itaque regum, nullus judicum, nullus cujuscunque sæcularis potentiæ dignitate fultus, in rebus prælatorum cœnobiorum, vel villis, vel agris, vel mancipiis, vel quidquid ad eadem monasteria collatum fuerit, potestatem habeat vel dominandi, vel accipiendi, vel auferendi, præter episcopum Belvacensis Ecclesiæ, qui per tempus fuerit eidem prælatus Ecclesiæ. Sed quidquid vel in auro, vel in argento, vel in quacunque suppellectili, vel in omni facultatis substantia,

A ipsis est monasteriis hodie delegatum, vel futuris temporibus fuerit collatum, episcopi Belvacensis distributioni et ordinationi fiat subjectum, nec alterius potestatis jus vel dominatio super eis potestatem aliquam, nisi quantum divina auctoritas et lex et justitia permittet, obtineat. Si quis autem temerario ausu, magna parvave persona, contra hoc nostrum apostolicum decretum agere præsumpserit, sciat se anathematis vinculo esse innodatum, et a regno Dei alienum, et cum omnibus impiis æterni incendii supplicio condemnatum. At vero qui observator exstiterit præcepti hujus, gratiam atque misericordiam vitamque æternam a misericordissimo Domino Deo nostro consequi mereatur. » Et sanctus Gregorius in decretali epistola, in partes Græciæ pro quibusdam commotionibus directa, ita dicit ad locum: « Si qui vero sunt, qui dicunt, quia compulsus quispiam necessitate, si anathematizaverit, anathematis vinculo non tenetur, ipsi sibi testes sunt quia Christiani non sunt, quia ligamenta sanctæ Ecclesiæ vanis se æstimant conatibus solvere, ac per hoc nec absolutionem sanctæ Ecclesiæ, quam præstat fidelibus, veram putant, si ligaturas ejus valere non æstimant. Contra quos diutius disputandum non est, quia per omnia despicendi et anathematizandi sunt, et unde se fallere veritatem credunt, inde in peccatis suis veraciter ligantur. Eosque et ego, et omnes catholici episcopi, atque universa Ecclesia anathematizamus, quia veritati contraria sentiunt, et contraria loquuntur. » Unde magnopere dilectissimo domno nostro regi curandum est, ne suggestionem vel postulationem quorumcunque hominum contra hæc sancti Spiritus decreta faciat, vel fieri de ecclesiasticis rebus consentiat: maxime post hanc visitationem Dei, qua per confessionem, et pœnitentiam, et reconciliationem sacerdotalem illum credimus emendatum: quia magna est contra peccatum virtus pœnitentiæ, sed ei qui in eadem pœnitentia perseverat, quia scriptum est: *Qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit* (*Matth. xviii, 22*); et item scriptum est: *Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit eum, quid proficit lavatio illius* (*Eccli. xxxiv, 30*)? Mortuum quippe est omne opus perversum quod pertrahit ad mortem, quodque justitiæ non vivit. Baptizatur ergo a mortuo et iterum tangit eum, qui prava opera, que se egisse meminit, deplorat, sed in eisdem se iterum post lacrymas implicat. Anima itaque quælibet ejusdem mortui lavatione non proficit, quæ hoc iterum faciendo quod planxit, nec per lamenta pœnitentiæ ad rectitudinem justitiæ exsurgit. Pœnitentiam enim verè agere est commissa plangere, et iterum plangenda declinare. Providendum est igitur charissimo domno nostro regi, quod Dominus dominorum et Rex regum etiam ipsi et unicuique nostrum, qui et omni homini sine exceptione alicujus personæ, quia ut Scriptura dicit: *Non est personarum acceptor Deus* (*Act. x, 34*), dicit, quod longe ante cuidam in Evangelio dixerat: *Ecce sanus factus es: jam noli peccare,*

ne deterius tibi aliquid contingat (Joan. v, 14). Sed et prava sibi suggerentes non obaudiat, dicente Apostolo : Non solum qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus, digni sunt morte (Rom. 1, 32). Episcopo etiam nuper ordinato agere talia vel talibus consentire non præcipiat, unde se ipsum perdat, et coram Deo ecclesiasticam gratiam amittat. Cum coram omnibus et electoribus et ordinatoribus suis districtissime professus ante ordinationem suam fuerit, et propria manu subscripserit sacras regulas sanctorum conciliorum, quantum scierit et potuerit, servaturum. Qui sacri canones spiritu Dei conditi, et totius mundi

reverentia consecrati ita decernunt : Si quis contra suam professionem vel suam scripturam venerit in aliquo, ipse se honore privabit. Qui autem res et facultates ecclesiasticas Belvacensis Ecclesiæ ipsius consensu vel favore pessumdare præsumpserint, qui auctoritatem eas illis dare vel consentire non habuit, sollicitissime caveant, ac suprascriptas sacrorum canonum sententias, ab omnibus nobis episcopis, ad quorum notitiam ipsorum sacrilega pervenerint intentatas, suscipiat, et ab omni Christianorum societate modis omnibus separentur.

XV.

DE PRESBYTERIS CRIMINOSIS,

de quibus approbatio non est.

(Apud eundem, ex editione Moguntina Joannis Busæi).

CAP. I. Quid de presbyteris criminosis, de quibus approbatio non est, agendum sit, in libro primo Capitulum domni Caroli imperatoris augusti capite trigesimo quarto scriptum est (lib. v *Capitul.* c. 33) : Hoc nobis magno cum studio retractandum est, quid de illis presbyteris criminosis, unde approbatio non est, et semper negant, faciendum sit. Nam hoc sæpissime a nobis ac prædecessoribus nostris ventilatum est, sed non ad liquidum hactenus diffinitum. Unde ad consulendum Patrem nostrum Leonem papam sacerdotes nostros misimus, et quidquid ab eo vel a suis perceperimus, vobis una cum illis quos misimus renuntiare non tardabimus. Vos interim vicissim tractate attentius, quid ex his vobiscum constituamus, una cum prædicti sancti Patris institutionibus, ut murmur cesset populi, et nos his faventes illæsi, Domino auxiliante, ab utrisque maneamus. Sequitur confirmatio memorata de sacerdotum purgatione, capite in eodem libro trigesimo quinto.

CAP. II. (*Capitul.* lib. v, c. 34.) Omnibus vobis visu aut auditu notum esse non dubitamus, quod sæpissime suadente antiquo hoste sacerdotibus crimina diversa objiciuntur. Sed quoniam qualiter ex eis ab his rationabilis examinatio et satisfactio fiat, licet de rationabili examinatione et satisfactione presbyterorum, tempore bonæ memoriæ domni genitoris mei Pippini, sive priscis temporibus a sanctis Patribus et a reliquis bonæ devotionis hominibus sæpissime ventilatum fuerit, nos tamen pleniter et ad liquidum diffinitum reperire minime quivimus. Nostris quippe temporibus id ipsum a sanctis episcopis, et reliquis sacerdotibus, et cæteris ecclesiasticæ dignitatis ministris, nostris in regnis, seu in aliis degentibus, nobisque una cum eis agentibus sæpissime, propter multas et nimias reclamaciones, quæ ex hoc ad nos ex diversis partibus venerunt, ventilatum est. Sed qualiter consultu domni et Patris

B nostri Leonis apostolici, cæterorumque Romanæ Ecclesiæ episcoporum, et reliquorum sacerdotum, sive Orientalium et Græcorum patriarcharum, et multorum sanctorum episcoporum, et sacerdotum, necnon et nostrorum episcoporum omnium, cæterorumque sacerdotum ac Levitarum auctoritate et consensu, atque reliquorum fidelium et cunctorum consiliariorum nostrorum consultu diffinitum est, vobis omnibus ordinis utriusque ministris scire volumus. Statutum est namque, ratione et necessitate ac auctoritate prædicta, consultu omnium, ut quotiescunque cuiquam sacerdoti crimen imponitur, si ipse accusator talis fuerit, ut recipi debeat (quia quales ad accusationem sacerdotum admitti debeant in canonibus pleniter expressum est), si autem, ut dictum est, ille aecusator, qui canonicè recipiendus est, eum cum legitimo numero verorum et bonorum testium approbare in conspectu episcoporum poterit, tunc canonicè dijudicetur, et si culpabilis inventus fuerit, canonicè damnetur. Si vero cum supra scripto prætextu approbare ipse accusator minime poterit, et hoc canonicè diffiniatur.

C **CAP. III.** (*Ibid.*) Ipse ergo sacerdos, si suspiciosus aut incredibilis suo episcopo, ac reliquis suis consacerdotibus, sive bonis et justis de suo populo vel sua plebe hominibus fuerit, ne in crimine, aut in prædicta suspicione remaneat, cum tribus aut quinque vel septem bonis ac vicinis sacerdotibus exemplo Leonis papæ, qui duodecim episcopos in sua purgatione habuit, vel eo amplius, si suo episcopo visum fuerit, aut necesse propter tumultum populi id esse perspexerit, cum aliis bonis et justis hominibus, se sacramento corum populo super quatuor Evangelia dato, purgatum ecclesiæ suæ reddat episcopus.

D **CAP. IV.** (*Ibid.*) Si quis autem scire desiderat, quales accusatores ac testes ad accusationem sacerdotum recipi debeant, et quid de accusatore facien-